

Der Papst wird ersucht sich der Sache des Magisters Werner Tegerdes von Costfeld anzunehmen.^{a)}

[1465.]

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 1092 fol. 93^b.

Beatissime pater. Licet devotus vester orator Wernerus Tegeders de Costfeldia, 5 clericus Monasteriensis dyocesis, artium magister, fuisset et esset in pacifica possessione vel quasi legendi, disputandi et resumendi iuxta consuetudinem facultatis artium studii generalis in opido Lipczkensi Merßburgensis dyocesis, plures habens scolares in suis resumptionibus, non modo simplices et non graduatos, verum etiam plerosque eiusdem facultatis magistros publice legit ac exercitia per magistros exerceri consueta exercuit. 10 Nichilominus quidam Iohannes Kurlebeke tunc decanus, Georgius Hütter, Hinricus Colek, Hinricus Ellingk de Stendalia, Iohannes Stublinger, Iohannes Fabri de Rudeshem, Marcus Sculteti de Glogovia, Wernerus Onshusen et Iohannes Adorf ceterique prefate facultatis artium consilarii dictum oratorem de meritis ipsius minime exigentes a predicta facultate artium pretense excluserunt, singulisque scolaribus facultatis artium, ne 15 lectiones ipsius oratoris audire vel ipsi quomodolibet eius artibus conversari presumerent, sub pena non promotionis ad biennium in dicta facultate de facto inhibuerunt, in magnum dicti oratoris preiudicium, dehonestationem et iacturam, non solum emolumentis et fructibus consuetis, sed etiam honoribus ipsum spoliando. Unde dictus orator perperam gravatum se videns et lesum, ad Iohannem Hasenfelt, eo tempore universitatis rectorem, pro 20 oportuno remedio et ut ad ipsius iustitiam doctores et alios totius universitatis magistros convocaret, ut ipsis suam causam exponere et querulari iustitiamque suam secundum consuetudinem et statuta universitatis coram ipsis prosequi posset, recursum habuit, qui rector, ut creditur contemplatione magistrorum de supradicte facultatis artium consilio, hoc facere recusavit, quo fit quod dictus orator in partibus super premissis propter ad- 25 versariorum potentiam et inordinatos favores non potuit nec potest consequi iustitie complementum. Quare supplicat eidem sanctitati vestre dictus orator, quatenus causam et causas quam et quas habet, movet, habereque et movere vult et intendit contra et adversum dictos decanum et consilarios facultatis artium nec non Iohannem Hasenfelt propter denegatam iustitiam super spoliationibus, inhibitionibus et exclusionibus huius- 30 modi rebusque aliis in actis cause huiusmodi latius designandis, alicui ex reverendis patribus sacri vestri pallatii apostolici causarum auditoribus committere dignetur audientium, cognoscendum, decidendum et fine debito terminandum cum omnibus et singulis suis emergentibus, incidentibus, dependentibus, annexis et connexis tam coniunctim quam divisim cum potestate citandi prefatos decanum et consilarios facultatis artium ac Io- 35 hannem Hasenfelt, tunc universitatis rectorem, et eorum quemlibet omnesque alios et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, et in executione citationis nominandi in Romana curia et extra eam ac etiam inhibendi &c. tocians quociens opus fuerit.